

TERTIA.

1) Cantanda in Rogation. et in die s. Marci.

Ad dub.: Utrum in festo s. Marci in Ecclesia hujusmodi Evangelistae dicata Episcopus finita Processione Litaniarum majorum debeat tantum recitare Ps. *Quam dilecta*, antequam Pluviale violaceum deponat et rubra indumenta accipiat pro Missa pontificali, vel etiam hora tertia solemniter post processionem et ante Missam pontificalem decantanda sit?

Et eadem S. C. rescribendum censuit: In casu esse decantandam horam tertiae.

Atque ita rescribere censuit et declarare. N. 5180 ad 3. Die 25. Septembris 1852.

2) Cantatio Papa celebrante.

Processione ad altare finita et facta reverentia... extrahitur Mitra Papae et biretum, qui deinde surgit et stans versus altare secrete dicit: *Pater noster*; deinde alta voce cantando et se signando: *Deus in adjutorium meum* etc. manens ita, quousque incipiatur per Cantores Psalmus: *Legem pone*. Quo incepto sedet et imponitur ei biretum et Mitra, ut supra. Tum Subdiaconus latinus accedit ad altare, cui mappulam quandam Sacrista supra brachia ponit, et super eam Caligas et Sandalia, quae ambabus manibus ad oculos elevatis ad Pontificem defert. Hunc sequantur omnes Acolythy, quibus accipientibus et extendentibus fimbrias Pluvialis Papae Subdiaconus cum uno ex secretis Cubiculariis Papae subter intrant et communia calceamenta Papae extrahentes Caligas et Sandalia ei imponunt. Interim Episcopi Assistentes Papae librum ante ipsum et candelam ex more tenent; Diaconi assistentes cum Pontifice dicunt Antiphonam: *Ne*

reminiscaris etc. et Psalmum: *Quam dilecta* etc. ut in libro. Interim cantatur Tertia per Cantores, qui cum ad Capitulum pervenerint, quod unus ipsorum cantabit, Papa surgit cum Mitra; et cum finito brevi responsorio versiculus dicatur, accedunt ante Pontificem Episcopus Cardinalis assistens, ut librum teneat pro oratione, et Caeremoniarius cum duobus Ceroferariis. Finito versiculo deponitur Mitra Pontifici, qui dicit stans versus ad altare: *Dominus vobiscum* et orationem, Episcopo Cardinali librum super caput tenente et uno Episcoporum assistentium cum manu adjuvante, alio candelam tenente; qua finita, Pontifex repetit: *Dominus vobiscum*, et Caeremoniarius cum Ceroferariis revertitur ad altare, Cantores vero dicunt: *Benedicamus Domino*.

(Catalan. Caer. Eccles. rom. I. II. tit. I. p. 60.)

3) Episcop. cant. debet.

Episcopus Missam pontificalem celebraturus tenetur intonare Tertiam cantandam et in fine cantare orationem. N. 4235 ad 4 die 15. Septembris 1753.

4) Locus cantandi.

Vd.: *Baldach. Episcopi; Paramenta Pontif.*

Debet aliquod particulare sacellum deputari ad sumenda sacra indumenta pontificalia et ad Tertias canendas ante Missam solemnem. N. 1955 ad 3 die 15. Febr. 1659.

In Vesperis et Missis sol. in singulis dominicis *per Adventum* non erit opus Episcopum s. paramenta pro missa sumere in sacello sed apud sedem ubi cappa indutus incipit Tertiam. *Caer. Ep. I. II. c. XIII. n. 2.*

Ad dub.: An dum recitatur Tertia et Episcopus se praeparat ac s. para-

ramenta sumit, Capitulum teneatur stare capite detecto et idem servandum sit in Vesperis pontificalibus?

S. C. resp.: Servetur Caer. Ep. N. 4235 ad 5. die 15. Sept. 1753.

Incepto psalmo *Legem pone* etc. Episcopus sedebit sedentibus etiam Canonicis, exceptis his, qui Episcopo ministraturi sunt. *Caer. Ep. I. II. c. VIII. n. 6.*

Jam diximus valde convenire atque antiquae ecclesiasticae disciplinae consonum esse, ut in Ecclesiis cathedralibus locus aliquis sive sacellum, ab antiquis secretarium appellatum, deputetur, ad quem Episcopus solemniter celebraturus Missam, postquam sua cappa indutus, ingressus fuerit Ecclesiam sacrasque preces ad altaria superius memorata effuderit, cum suis Canonicis et choro conveniat. Qui locus praeparatus ornatusque esse debet altare decenti cum cruce et candalabris ac coreis accensis, super quo erunt reposita sacra Missalia et indumenta pro Episcopo suo ordine. Aderunt etiam ibi sedes pro Episcopo versus cornu dexterum vel sinistrum altaris pro situatione et commoditate loci et sedilia pro Canonicis et aliis circumcirca. In eum locum ingressus Episcopus factaque reverentia Cruci super altari praedicto existenti sedebit aliquantulum super dicta sede sibi praeparata, donec Canonici extra illum locum capiant sacra indumenta, remanentibus duobus Diaconis assistentibus apud Episcopum, dum alii parantur, qui et ipsi postea accipiunt paramenta; quibus paratis atque in eundem locum ingressis cum debitis reverentiis altari et Episcopo ac apud eorum sedilia stantibus Episcopus surget et stans capite detecto versus altare dicet secrete totum *Pater noster* et *Ave Maria*. Tum faciens sibi crucis signum a fronte ad pectus voce incipit horam

tertiam dicens: *Deus in adjutorium* etc. choro prosequente: *Domine ad adjuvandum* etc. et Hymnum: *Nunc Sancte nobis Spiritus* etc. cui organum intermisceri poterit. Quo hymno finito, cantor dicit antiphonam atque incepto psalmo: *Legem pone mihi Domine* etc. Episcopus sedebit, sedentibus etiam Canonicis, exceptis his, qui Episcopo ministraturi sunt; chorus autem prosequetur psalmos. Tunc minister de libro serviens cotta indutus una cum altero candelam accensam tenente accedent cum libro ante Episcopum, qui poterunt esse aliqui ex suis Capellanis et qui de libro serviet, genuflexus manebit, dum Episcopus legit sedens; Episcopus vero sedens legit antiphonam: *Ne reminiscaris* etc. et psalmos consuetos, duobus Canonicis sibi a lateribus assistentibus, qui debent per totam Missam deservire alternatim respondentius.

Caer. Ep. I. II. c. VIII. n. 2—7.

Vd.: *Organ. in Matut.; Orationes* (Acolythy in Matut. etc.)

5) In quibus diebus cantari debet?

Ad dub.: An Vesperae et Hora Tertia cantari debeant in Cathedr. Suessana etiam in diebus ferialibus et non festivis de praecepto?

S. C. C. resp.: Servantur decreta S. R. C. Die 18. Aug. 1708 ad V.

6) Ps. „Legem pone“.

In penultimo versu psalmi: *Legem pone* ad Tertiam, Breviaria Romae et alibi edita satis communiter habent: Et loquebar in testimoniis tuis. In aliquibus autem legitur: Et loquebar de testimoniis tuis, prout invenitur in editione vulgata sacrorum bibliorum. Sed nonnunquam textus sanctae Liturgiae propter varias et antiquas lectiones aliquatenus differt a textu vulga-

tae editionis scripturae sacrae. A Sacra ergo Rituum Congregatione, quae integritati librorum liturgicorum invigilat, quaeritur ex his duabus lectionibus, in vel de, quaenam sit legitima in hoc loco Breviarii?

S. C. resp.: Juxta vetera et emendatiora Breviaria legendum: *In testim. tuis*. Die 12. Augusti 1854.

(Anal. J. P. 1857 pag. 2204.)

TERTIARIUM.

1) Habitus.

Declaratio circa jus conferendi habitum tertii Ordinis s. Francisci competens tantum Fratribus ejusdem tertii Ordinis Nationis Gallicanae et Cappucinos ejusdem Nationis excludens.

Clemens Papa X.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres tertii Ordinis s. Francisci Congregationis Gallicanae, quod licet Congregatio Venerab. Fratrum Nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, in controversia inter ipsos exponentes ex una ac dilectos pariter filios Fratres Ordinis Minorum ejusdem s. Francisci Cappucinatorum nuncupatorum in regno Galliarum degentes ex altera partibus circa jus conferendi habitum tertii Ordinis s. Francisci utriusque sexus personis saecularibus easque dirigendi vertente, die 13. Martii proxime praeteriti, partibus pluries auditis decrevisset, ut Fratres Cappucini praefati ab hujusmodi habitus collatione et directione penitus abstinerent, nihilominus dilecto etiam filio Procuratore generali dicti Ordinis Fratrum Cappucinatorum conquerente, se in iuribus suis sufficienter auditum

non fuisse, eadem Cardinalium Congregatio die 20. ejusdem mensis mandavit ab expeditione sui decreti hujusmodi supersederi, utque dictus Procurator Generalis quasdam provisionales in simili forma brevis literas, quas a recol. mem. Clemente Papa IX. Praedecessore Nostro ad praefati Ordinis Fratrum Minorum Cappucinatorum favorem emanasse asserebat, partibus communicaret.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, praefatus Procurator Generalis id non praestiterit nihilque habeat quod pluries et in diversis contradictoriis tam coram praefata quam coram altera nempe Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Conc. Tridentini Interpretum Congregationibus non fuerit alias add. Fratribus Cappucinis productum; et propterea dicti exponentes, ut hujusmodi controversiae jam toties et tam solemniter decisae et novissime coram primodicta Cardinalium Congregatione ter expositae, finis tandem imponatur ac alia decreta a praefatis duabus Cardinalium Congregationibus respective contra praefatos Fratres Cappucinos emanata, necnon desuper expeditae pariter in forma Brevis Literae Apostolicae observentur, opportune sibi in praemissis a Nobis provideri, et ut infra indulgeri summopere desiderent,

§. 2. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab hominibus quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas

fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de memoratorum Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui partibus auditis in decreto alias videlicet dicta die 13. Martii proxime praeteriti edito persistendum esse censuerunt, consilio, praefatis Fratribus Cappucinis nuncupatis, ne in posterum in admittendis mulieribus ad habitum tertii Ordinis s. Francisci sive in ipsis dirigendis se ingerant auctoritate apostolica tenore praesentium interdicimus ac praedictis Fratribus Cappucinis perpetuum super praemissis silentium imponimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 10. Octobris 1672.

(Bull. r. t. VI. Append. pag. 31. Ed. Luxbg.)

Contra deferentes Habitum Tertiariorum tertii Ordinis s. Francisci, absque licentia Superiorum Ordinis vel deferentes tunicam oblongam cum vel sine caputio, cum mantello.

Urbanus Papa VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum sicut dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum regularis observantiae s. Francisci Nobis nuper exponi fecit quamplures abutentes habitu Tertiariorum Ordinis ejusdem sancti Francisci vel simplicem tunicam oblongam cum Mantello vel sine eo absque Superiorum praedictae religionis licentia deferant vel etiam eis caputium aut tunicae adjunctum aut ipsi Mantello consutum superaddant eorumque nonnulli extra claustra degentes tum scandalose et inopportune sub specie peregrinationis aut alterius emendicati praetextus divagentur, tum etiam aliquas Ecclesias seu Capellas adscito sibi eremitarum nomine incolant,

exindeque maxima apud saeculares scandali materia et pravae opinionis erga praedictam religionem ingeratur, Nobis propterea d. Procurator Generalis humiliter supplicari fecit ut tot incommodis et scandalis opportunum aliquod remedium adhibere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur eundem Procuratorem Generalem specialibus favoribus et gratis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati,

§. 2. Omnibus et singulis locorum Ordinariis ac Nostris et Sedis apostolicae Nunciis ubivis terrarum constitutis et degentibus tenore praesentium districte praecipiendo mandamus, ne caetero quemquam praedictam tunicam oblongam cum vel sine Mantello absque Superiorum praedictae religionis Minorum de Observantia et cujusvis instituti seu Congregationis Ordinis ejusdem Francisci licentia in scriptis obtenta quoquo modo deferre permittant, utque si aliquem praemissorum transgressorem repererint illum carceri mancipandum, tali habitu exuendum et arbitrariis poenis mulctandum irremissibiliter curent et praeterea nemini licitum faciunt etiamsi praedictae religionis Minorum de Observantia et cujusvis Instituti seu Congregationis universi Ordinis hujusmodi Superiorum scripta seu quovis alio praetextu roborata licentia desuper accesserit, ut habitum hujusmodi cum praedicto caputio vel tunicae seu mantello, ut praefertur, consuto deferunt, sub-

lata ejusdem Ordinis Superioribus ipsisque locorum Ordinariis ac Nunciis apostolicis et eorum cuilibet quavis auctoritate licentias hujusmodi cuiquam concedendi ac demum, earumdem tenore praesentium volumus et ordinamus, ut si quispiam tale defrens caputium, vel cum licentia vel sine ea inventus fuerit, carceris detentione, habitus privatione et aliis arbitrariis poenis ab eisdem Ordinariis et Nunciis omnino puniatur.

Datum Romae apud sanctam Mariam die 6. Septembris 1638.

(Bull. r. t. V. p. 310. Ed. Luxbg.)

Confirmatio Decreti Congregationis Regularium circa delationem habitus Fratrum tertii Ordinis s. Francisci.

Urbanus Papa VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Nobis pro parte dilecti filii Marci Antonii Bottoni Bononiensis tertii Ordinis s. Francisci Commissarii Generalis et Procuratoris nuper expositum fuit, quod inter generalia dicti Ordinis statuta apostolica auctoritate confirmata reperitur infrascriptum videlicet:

§. 1. Religioni consulentes decernimus, ut juxta nostra apostolica privilegia nostratum habitus sit tunica talaris cum scapulari veste sive cucullo utrinque angulari, posteriori tamen angulo funiculum attingenti, pallium vero instar impluviae, nulla vel coloris vel formae differentia, ut eodem modo et colore, quem vulgo beretinum appellamus, omnes vestiantur.

§. 2. Verum quia Fratres dicti Ordinis alicubi aliquando a Fratribus Minorum s. Francisci Conventualium nuncupatorum super hoc de facto perturbentur, Nobis propterea dictus exponens ad obviandum controversiis et

litibus quibuscumque humiliter supplicari fecit, ut praefatum decretum pro illius firmiori subsistentia Apostolicae Confirmationis patrocinio communire de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur eundem exponentem specialibus favoribus et gratis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causis latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad affectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censes hujusmodi supplicationibus inclinati,

§. 4. de venerabilium fratrum nostrorum S. R. C. Cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio decretum praefatum cum omnibus et singulis in eo contentis Apostol. auctoritate tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus ac omnes et singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem die 9. Septemb. 1639.

(Bull. r. t. V. p. 333 Ed. Luxbg.)

2) Indulgentiae.

De lucranda indulg. Portiunculae in Ecclesiis Tertiariorum, vid.: Indulg. (de Portiunc.)

De Institutione tertiae regulae pro fratr. et sororibus tertii Ord. s. Francisci Ass., de poenitentia nuncupatis, sub tribus votis essentialibus in communi viventibus, vd. constit. Leonis X. die 20. Jan. 1521, (Bull. r. t. I. p. 616) et decimo quarto Cal. Jan. 1516 ibid. t. X. p. 36); constit. Bened. XIII. IX. Cal. Junii 1716 et 9. Julii 1726. (Ibid. t. p. X. p. 286 et 290) et 27. Jul. 1728. (Ibid. p. 364).

Universa privilegia toti Tertiariorum coetui, in tres status distincto, concessa confirmantur ipsique Tertiarior. ministro gen. totius ordinis Minorum denuo subjiciuntur et commendantur per constitut Bened. XIII. de die 10. Decb. 1725 (Bull. r. t. VIII. p. 486) et de die 8. Aug. 1726. (Ibid. p. 503.) De indulg. vd. const. Inoc. XI. die 8. et 22. Aug. 1681. (Bull. r. t. XI. p. 362.)

Clemens PF. XII.

Nos omnibus et singulis Tertiariis cujuscunque tertii ordinis regularis, qui inter Tertiarios dicti tertii Ord. B. V. M. de monte carmelo adscribi desideraverint ac regulas, statuta et conditiones pro dictis Tertiariis B. M. V. de monte carmelo praescripta adimplerint, omnibus et singulis indulgentiis, privilegiis et gratis spiritualibus tertio ordini B. V. M. hujusmodi concessis, promisce unacum aliis indulgentiis eorum tertio ordini, in quo adscripto reperiuntur, concessis, frui et gaudere possint et veleant, nec Tertiarios hujusmodi ab eorum resp. tertio ordine, in quo adscripti fuerint, propter suam inter Tertiarios B. M. V. adscriptionem deleri unquam posse tenore praesentium concedimus ac declaramus.

Datum Romae 23. Nov. 1793.

(Bull. r. t. XV. 7. 306.)

De nova concess. et praescriptione indulg. saecularibus confr. et sororib. tertii ord. s. Franc. Ass. vd.: Bullam Bened. XIV. die 15. Mart. 1751. (Bull. r. t. XVIII. p. 192); de die 28. Febr. 1752. (Ibid. p. 263.)

Ad dub.: I. An sodales Tertiarii ordinis s. Francisci Assinatis, cujuscunque provinciae sint, lucrifaciant stationes, indulgentias, remissiones tum urbis quam etiam Portiunculae, sive Jerusalem et s. Jacobi in Compostella, recitando sex pater, ave et gloria, sci-

licet quinque pro felici statu s. matris Ecclesiae, sextum autem pro intentione summi pontificis concedentis?

II. An indulgentias, de quibus in superioribus dubiis, lucrantur toties quoties et an in quocunque loco preces ipsas fuderint?

III. An ad easdem lucrandas indulgentias, recitare sufficiat sex tantum pater, ave et gloria; ita ut necesse minime sit alias preces addere, quomodo in indulgentiarum concessionibus atque rescriptis orandi per aliquod temporis spatium juxta intentionem pontificis, seu pro haeresum extirpatione, exaltatione s. matris Ecclesiae atque christianorum principum pace et concordia etc. injungi consuetum est?

IV. An ad memoratas indulgentias consequendas necessaria sit sacramentorum poenitentiae et eucharistiae susceptio?

V. An denique haec ipsae indulgentiae omnes animabus in purgatorio detentis applicari possint?

Itaque Emmi Patres in comitiis generalibus apud Vaticanas Aedes habitis die 31. martii currentis anni, rebus mature perpensis, altero quoque voto audito, respondendum esse consuerunt, ut infra,

Ad I.: Affirmative.

Ad II.: Affirmative juxta votum consultoris, nempe servato decreto s. Congregationis die 7. martii 1678 approbato ab Innocentio XI. cujus initium: *Delatae saepius.*

Ad III.: Affirmative.

Ad IV.: Negative.

Ad V.: Affirmative.

Facta denique de his omnibus per me infrascriptum sacrae Congregationis secretarium eidem SSmo fideli relatione in audientia diei 14. Aprilis ejusdem anni Sanctitas Sua resolutiones praefatas sacrae Congregationis benigne

approbavit. Datum Romae ex secretaria ipsius s. Congregationis indulgentiarum. —

L. † S.

F. Card. Asquinius, Praefectus.
A. Columbo, Secretarius.

Ita reperitur in regesto authographo adservatum in secretaria S. Congregationis indulgentiarum, cum quo praesens copia collata plene et ad verbum concordat. In quorum fidem etc. Datum Romae ex Secretaria ejusdem s. Congregationis indulgentiarum, die 3. Decemb. 1856. — A. Archip. Prinzivalli substitutus.

(Anal. J. P. 1857. p. 2713.)

Ordinis Minor. Observ. S. Francisci
Decretum.

Ex audientia SSmi die 14. Aprilis 1856.

Ad preces humillimas Rmi Patris Venantii a Celano totius ordinis Minorum observant. s. Francisci Ministri Generalis SSmi Dominus Noster Pius PP. IX. clementer inclinatus, audito prius voto Sacrae Emmorum Patrum Congregationis Indulgentiarum sacrisque Reliquiis praepositae, quae apud Vaticanas Aedes die 31. Martii ineuntis anni est habita, benigne declaravit, omnes et singulas indulgentias, privilegia, communicationes etc. tertiariis sancti Francisci a glorioso praedecessore suo Benedicto XIII. concessas tam vigore Constitutionis: *Paterna Sedis* die 10. decembris 1725, quam alterius: *Singularis devotio* diei 5. Julii 1726, atque ab ipsa Sanctitate Sua tum tertiariis franciscalibus Galliarum per litteras Apostolicas in forma brevis: *Superni Apostolatus* diei 7. Julii 1848 confirmatas, tum per alias litteras: *Cum sicut Nobis nuper* diei 11. martii 1851 ad preces Rmi P. Ministri Generalis Ordinis Min. Conventualium S. Francisci iterum concessas, extendi ad omnes et singulos

S. Francisci tertiarios sub quacumque directione existentes, sive Ordinis Min. Observantium sive Ordinis Min. Conventualium sive Ordinis Cappucinatorum, sive denique sub directione cujuscumque sacerdotis tam saecularis quam regularis legitima tamen facultate pollentis tam erigendi quam moderandi tertiariorum S. Francisci Sodalitates seu Congregationes, ita ut unusquisque tertiarius, qui cuilibet ex praefatis directionibus subsit, dummodo injuncta opera adimpleat, omnibus et singulis indulgentiis, privilegiis, communicationibus, ut supra elargitis ac confirmatis, gaudere possit et valeat. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla brevis expeditione. Non obstantibus Constitutione Benedicti XIV. anni 1751, quae incipit: *Ad Romanorum Pontificem* et aliis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae in Secretaria ejusdem Sac. Congregationis Indulgentiarum.

L. † S.

Fr. Card. Asquinius, Praefectus.
A. Columbo, Secretarius.

Ita reperitur in regesto authographo adservatum in Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum, cum quo praesens copia collata plene et ad verbum concordat. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 13. Decembris 1856.

A. Archip. Prinzivalli Substitutus.

Beatissime Pater.

Fratres tertii Ordinis S. Francisci in Gallia sat communiter persuasum habent omnium Indulgentiarum, peccatorum remissionum aliarumque gratiarum spiritualium Fratribus Minoribus a pluribus Pontificibus elargitarum se participes redditos fuisse.

Hinc firmiter tenentes suas Ecclesias seu Cappellas vel Oratoria gaudere insigni privilegio Portiunculae

pro die secunda Augusti quibusdam in locis ab Ordinariis hujus privilegii recognitionem efflagitant. Ordinarii autem quibus de tanti communicatione privilegii non lucide constat multas opponunt cunctationes, quas de medio tollere cum multum expediat Orator Fr. Coelestinus Minister Provincialis Ordinis Cappucinatorum in Gallica Provincia, enixe Sanctitatem Vestram deprecatur, ut declarare dignetur Capellas tertiariorum utriusque sexus in propriis domibus commorantium, illas etiam in parochialibus Ecclesiis inclusas communicare cum ecclesiis Fratrum Minorum in omnibus privilegiis et indulgentiis praesertim in illo tam praestanti Portiunculae privilegio a primis vespere Festi dedicationis Ecclesiae Sanctae Mariae Angelorum usque ad occasum solis diei secundae Augusti respective ad omnes christifideles. Et Deus etc.

Tertii Ordinis S. Francisci Decretum.

Cum ex parte Fratrum tertii Ordinis S. Francisci in Gallia huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi remissae fuissent supraenunciatae, preces tria formulata sunt dubia:

1) An scilicet tertiarii saeculares seu in propria domo viventes gaudeant omnibus indulgentiis, peccatorum remissionibus etc., quibus potiuntur Fratres Ordinis Min. S. P. Francisci vigore *communicationis*? et quatenus *affirmative*;

2) An sub hac generali communicatione veniat quoque privilegium *indulgentiae Portiunculae* de secunda die Augusti cujusque anni, alias vulgo *il perdono d'Assisi*? Et in casu etiam *affirmative*;

3) An praefata gaudeant eorundem etiam Ecclesiae, Oratoria, Cappellae in Ecclesiis licet parochialibus existentes seu intra eam comprehensae pro omnibus christifidelibus?

Sacra itaque Congregatio in Palatio

Apostolico Vaticano die Martii currentis anni habita, audito consultoris voto rescribendum esse censuit

Ad I.: *Affirmative* ad formam Brevis SSmi Domini Nostri Pii P.P. IX. sub die 11. Martii 1851 quod incipit: *Cum sicut Nobis nuper*.

Ad II.: Juxta votum consultoris.

Ad III.: *Negative* juxta votum consultoris.

In audientia vero SSmi die 14. Aprilis ipsius anni per me infrascriptum Sac. Congregationis Secretarium eidem SSmo relatione peracta, Sanctitas Sua praefatis resolutionibus censuit annuere.

Ad I.: scilicet *affirmative* juxta praememoratum Breve.

Ad II.: Juxta votum consultoris, scilicet *affirmative*.

Ad III.: *Negative* juxta consultoris votum.

Datum Romae ex Secretaria ipsius Sac. Congregationis Indulgentiarum.

L. † S.

Fr. Card. Asquinius, Praefectus.
A. Colombo, Secretarius.

Ita reperitur in Regesto authographo adservatum in Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum, cum quo praesens copia collata plene et ad verbum concordat. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum.

Die 13. Decembris 1856.

Prinzivalli, Substitutus.

(Anal. I. P. 1857 p. 2716 etc.)

3) Sepultura.

Vd. *Sepultura* (Regul.; Tertiari.; eorum, qui in habitu etc.)

THEATRUM.

(In Ecclesia.)

Vd.: *Repraesentationes devotae rerum piarum*.

Ludi theatrales etiam praetextu consuetudinis in Ecclesiis vel per Cleri-

cos fieri non debent. *Cap.: cum decorum 12. de vita et honestate Clericorum; Con. Toletan. 22. cap. 19.*

Nec in Ecclesiis fieri possunt repraesentationes seu comoediae, quaecumque illae sint, personae, vel sacrae, et permittentes puniendi sunt. Sic expresse cit. Conc. Tolet. 22. c. 19. et concordat cit. cap.: *Cum decorum.* Et tenent *Marian.* de spe. cul. c. 7; *Zerola* in prax. episc. part. 1. verb.: *repraesentationes*; et alii citati et secuti ab *Ursaya* instit. criminal. lib. 3. tit. 5. n. 29., *Nicolius* Lucubrat. canonic. lib. 3. tit. 1. nu. 27., *Monacell.* tom. 4. supplem. ad tom. 2. n. 207. et alii passim.

S. THECLA.

Urbis.

Officium S. Theclae virginis et martyris cum octava ad instantiam et supplicationem monialium s. Spiritus in Saxia de urbe ordinis s. Augustini, quarum ecclesia eidem s. Theclae dedicata est, de mandato Sacrae Rituum Congregationis diligenter revisum et emendatum, ac etiam ab Illimo et Rmo D. Cardinali Baronio subscriptum, eadem Sacra Rituum Congregatio approbavit, et ut libere et licite a praedictis monialibus s. Spiritus in Saxia et in earum supradicta ecclesia recitari possit, licentiam concessit, ac etiam pro majori dictarum monialium commo- ditate, ut imprimi valeat, facultatem dedit. Die 11. Decembris 1604.

(Anal. I. P. 1863 p. 40 n. 146.)

S. THERESIA.

1) Dies festi.

Poloniae.

Stante instantia amborum procuratorum generalium ordinis Carmelitar-

um calceatorum scilicet et discalceatorum transferendi festum s. Theresiae cum officio et missis per regulares ordinis Carmelitarum in omnibus regnis Poloniae in diem 16. Octobris, attempto quod in die 16. eiusdem mensis praescripto a sede apostolica praedictis regularibus concurret etiam festum s. Edvigis reginae patronae regnorum Poloniae. Et Sacra Congregatio attentis narratis concessit. Die 21. Augusti 1632.

(Anal. I. P. 1863 p. 245.)

2) Officium.

Lectiones I. n. in officio s. Theresiae recitandas esse de communi Virginum. n. 2419 ad 2 die 13. Aug. 1667. In festo s. Theresiae II. 1. n. sunt de script. occurrente. n. 4119 ad 12. die 2. sept. 1741.

Ad dubium Capituli Cathedr. Carthag. in Hispania: an in officio transverberationis s. Theresiae debeat ad matutinum recitari hymnus: *Haec dies, qua candidae etc.* vel potius de communi virginum? S. C. resp.: Debere recitari hymnos proprios, qui recitantur in festo s. Theresiae, sed loco: *Haec est dies, qua etc.*, dicatur in festo transverberationis: *Felix dies, qua candidae etc.* n. 4080 ad 3 die 29. Nov. 1738. (Vd.: *Calendar. Congreg. ss. Redempt.* decr. n. 4581 ad 8.)

Gregorius P.P. XV.

Hodie in ss. Principis Apostolorum Basilica nostrorum S. R. C. Cardinalium, Patriarch. etc. praesentium consilio et unanimi consensu Theresiam V. tam fratrum quam Monialium Carmelitarum discalc. fundatricem Sanctam esse definivimus ac ss. virginum catalogo adscribendam decrevimus illamque universos christifideles tamquam vere Sanctam honorare et venerari mandavimus statuentes, ut ab univer-

sali ecclesia in ejusdem hon. Ecclesiae et altaria aedificari et consecrari et singulis annis die 5. Oct. ejus off. de s. v. ad praescriptum rom. breviarii recitari possit.

Datum Romae 12. Mart. 1621.

Ordinis Carmelitarum discalceatorum.

Supplicante humiliter s. Rituum Congregationi P. Josepho a SSmo Sacramento ordinis Carmelitarum discalceatorum et procuratore generali congregationis Hispaniarum pro concessionem officii proprii infra octavam s. Theresiae virginis pro religiosis utriusque sexus ejusdem ordinis, s. eadem Rituum Congregatio, referente Emmo Colbreto, concessionem petitam quoad lectiones octavarum tantum benigne indulget, et in reliquis ad Emum ponentem ad mentem rescribendum censuit. Die 9. Junii 1696.

(Anal. J. P. 1865. p. 1361 n. 2599.)

Belgica.

Proposito in s. Rituum Congregatione dubio, an officium s. Theresiae virginis recitandum sit cum lectionibus primi nocturni de Communi virginum ob omnibus Christifidelibus, prout dicitur in approbatione dicti officii facta per s. M. Urbanum VIII., et prout recitatur a patribus Carmelitis discalceatis, qui illius festum celebrant sub ritu duplici, vel potius de scriptura currenti, ex quo ab aliis dictum festum celebratur sub ritu semiduplici ex indulto ejusdem Urbani VIII.?

S. C. resp.: Ad formam concessionis Urbani, scilicet, de communi virginum.

(Anal. J. P. 1865 p. 1145 n. 1799.)

Pius PP. VII.

Cum sicut dilectae in Christo filiae abbatisse seu priorissae et moniales excalceatae ordinis eremitarum sancti

Augustini monasteriorum oppidi vulgo dicti Denia civitatis nuncupatae et villarum de Benegamin Cleria et Xaxea Valentinae dioecesis nobis nuper exponi fecerunt, ipsae pro eo, quem erga sanctam Theresiam virginem praeseferebant affectum, ejusdem cultum et venerationem augeri sumopere desiderent, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

Nos igitur dictas exponentes specialibus gratis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus earum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum praedictorum monasteriorum pro tempore existentes moniales in antiqua consuetudine recitandi quotannis tam in die festo ejusdem sanctae Theresiae et per ejus octavam, quam in alio festo transverberationis cordis ejusdem sanctae officia propria jam approbata pro ordine Carmelitarum excalceatorum manere; ac sacerdotes in iisdem diebus ad dictarum monialium ecclesias convenientes sacrum facturi missas praedictas officii conformes celebrare possent auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 3. Martii 1801.

(Bull. r. Contin. t. XI. p. 105.)

3) Off. votivum.

Hispaniarum.

Sacra Rituum Congregatio ad preces fratris Joannis a conceptione procuratoris generalis Carmelitarum discalceatorum Congregationis Hispaniarum benigne indulget omnibus ex dicta congregatione ut recitare possint officium de eorum sancta matre et fundatrice Theresia de Jesu sub ritu semiduplici, prout in breviario romano continetur, prima die